



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De amore inimicorum, 30

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

CAPVT XXX.

De amore inimicorum.

1. **M**agnum est, (dulcissime Domine Iesu Christe, qui nihil odis) si erga hominem, qui nihil mali mihi fecit, sum benevolus, & pacificus. Sed Domine, illud multo majus est, & magnificentissimæ benignitatis tuæ similius, si meum diligam inimicum, & ei, qui malum mihi intulit, & adhuc inferre vult, si possit: bonum semper velim, & faciam si possim: à tua gratia & benignitate Domine hoc procedit. Nihil tibi in natura similius est, quam homo, qui malevolis & inimicis lædentibus placabilis est. Qui enim diligit inimicum, imitatur te, qui dilexisti nos cum adhuc inimici essemus. Et non solum dilexisti, sed & tunc pro nobis mori morte turpissima voluisti, & pro crucifixoribus rogasti. Nobis quoque præcepisti, ut inimicos diligeremus, sicut scriptum est: Diligite inimicos vestros, & benefacite iis, qui oderunt vos. Et sequitur præmium, quod promittis. Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est. Vna namque est & summa (Domine Iesu Christe, cui proprium est misereri & parcere) probatio dilectionis, si nos eum diligamus, qui nobis adversatur, & bona nostra impendit. Probari etiam solet dilectio per solam odii adversitatem. Vnde sicut homo vincitur humana foelicitate, sic diabolus vincitur inimici dilectione.

2. O Domine Iesu Christe, in amo-
 A a 5 rem

tem misericordissime , & in misericordia
 amantissime ; scio , quod separatio à te ,
 mors est animæ : & contra , unio per dile-
 ctionem tecum , vita. Sicut igitur quilibet
 naturaliter amat vitam corporalem , & mor-
 tem timet : sic & amare debet veram dile-
 ctionem , & vitare odium. Quia , qui non
 diligit , manet in morte : in morte enim
 culpæ jam talis est , & debitor est mortis
 æternæ. O clementissime Domine Iesu
 Christe , à quo exulare non potest amor ,
 licet tibi non sint occulta , quæ ego nefan-
 dissimus peccator gessi ; tamen corde & ore
 confiteor , me inique vixisse , & præ mea
 malitia & iniquitate , vera dilectione caruisse.
 Inter alia , Domine , quæ male concepi &
 egi , est quod inimicum odio habui. Et licet
 scirem ex mandato tuo , quod eum diligere
 deberem , vilipendi tamen & spreui manda-
 tum tuum. Simultatem contra multos con-
 cepti , & conceptam corde & animo comple-
 vi. Et si quandoque factò non compleve-
 rim , ad detractiones tamen & infamationes
 processi. Succurre mihi , piissime Domine
 Iesu Christe , per tuum benedictum & mise-
 ricordem amorem , veniam mihi conceden-
 do , ut vitam meam miserabilem emendem :
 & sic te diligam , & alios propter te , ut hic
 amor nunquam deficiat , sed in vitam perdu-
 ret sempiternam, Amen.